

bus lingulatis. Achaenia matura fusca opaca obovata apice truncato-emarginata 3^{'''} longa, 2^{'''} lata, compressa, utraque facie unicostata et nervis aliquot percursa, irregulariter foveolato-rugosa, vertice gibberosa areola subrhombica margine integerrima vix prominula, in medio basi corollae residua breverostrata. Pappi setae basi liberae nec in anulum aut fasciculos connatae, in fructu maturo persistentes, sed basi articulata facile solubiles, candidae scariosae rigidae barbulatae limbum corollae attingentes, exteriores breviores recurvatae teretiusculae, interiores arcuatae compressae deorsum complanatae et canaliculatae. Cotyledones planae. Differt a *Cousinia multiloba* Dec. unica specie alpina m. Himalayae: squamis anthodii exterioribus non glandulosis et summopere habitu; omnes enim *Cousinia* capitula pedicellata offerunt, pappum diversum caducissimum, folia pl. min. decurrentia coriacea rigida, raro herbacea et tunc mitia. Pappus et achaenia scrobiculata omnino *Jurineae*, in qua pariter series intima setarum basi compressa; achaenia compressa apice gibberosa haud sufficiunt ad genus sui juris constituendum; habitus vero diversissimus, nam *Jurineae* numquam capitula spicata offerunt et folia spinosa, hinc nostra necessarie in sectionem diversam (*Plagiocephalum*) releganda. 10 Jul. fl. fr.

Jurinea lanipes *. Proxima *J. cyanoidi* Dec., praecipue var. *monocephalae subintegri-foliae*, at folia radicalia latiora, caulis fere scapiformis basi incrassata copiosissime lanigera, achaenia (jam immatura) superne squamuloso-hispida. Caulis pedalis simplicissimus inferne vel vix ad medium obsitus foliis 2 vel 3 raro 6, linearibus, inferioribus interdum pinnatipartitis. Folia radicalia vel integra late elliptica 1—1½^{'''} longa, 4—6^{'''} lata petiolata integerrima—vel saepius et in eadem planta lyrato-pinnatipartita lobis lateralibus divergentibus, lobo terminali pl. min. late ovato, breve acuto. Anthodii canescentis squamae inferiores adpressae, superiores erecto-patulae setigerae, intimae 7—8^{'''} longae glabriores interdum purpureae, saepius sanguineo-punctatae vel in var. *albiflora* omnino decolores, sed apice semper longe subulatae. 19, 20 Jul. fl. fr., 22 Jul. albiflora.

Koelpinia linearis Pallas. 19 Jul. fr.

Tragopogon ruber Gmel. jun. 20 Jul. fl.

Tragopogon pratensis L. Anthodii fruct. squamae 1—1½^{'''} longae, pappus 9^{'''}, rostrum 4^{'''}, achaenia 5^{'''}. 19 Jul. fr.

Scorzonera austriaca Willd. γ. *intermedia* Regel et Herder. 14 Jul. fl.

Scorzonera Marschalliana C. A. Meyer. var. *latifolia*, tota canescens, *monocephala*, foliis undulatis; talis forma adest e Fl. Wolgensis (*Sergiewsk*) et convenit cum *S. taurica* var. *lanuginoso-canescente* M. Bieb. Suppl. et herb. 15 Jul. fl.—19 Jul. fl. def. incompleta et quidpiam dubia; achaenia muricata, magnitudo capituli et caulis *polycephalus*, ut in typica herb. M. Bieb., sed indumentum arachnoideo-canescens, ut interdum in planta campestrisibirica.

Closiospermum hieracioides (L.) accedens ad var. *japonicam* (Thbg.) propter pilos glochidiatos usque ad anthodia procedentes et capitula subviridia paulo minora, squamis 3—4^{'''} longis. 12 Aug. fr.